



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. VIII. Vtrum ad finaliter perseverandum requiratur speciale donum, à
gratia & auxiliis eam concomitantibus distinctum, & in quo formaliter
consistat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

O manus Dei gratia,
Vincens quodvis miraculum,
Pessifera superbia
Nunquam perculit stimulum!

343 Contra primam partem conclusionis, in qua diximus privilegium vitandi omnia venialia collective, B. Virgini fuisse concessum, obijci potest: B. Virgo recitabat orationem Dominicam, subindeque hæc verba, *Dimitte nobis debita nostra*, verè pronuntiabat: Ergo habebat aliqua peccata venialia, quæ sibi digni postulabat. Unde Chrysostomus homil. 4. in Matth. docet illam ex motu ambicionis, seu vana gloriæ, Filio suo dixisse, *vinum non habent*. Et D. Augustinus lib. questionum novi & veteris testamenti quæst. 73. videtur docere, eam habuisse in morte Christi dubitationem fidei.

344 Respondeo quod B. Virgo orans nomine totius Ecclesiæ, verè dicere potuit, *Dimitte nobis debita nostra*. Vel quod potuit hanc precatiunculam facere in persona propria, quatenus nempe peccata dimittis nobis dimitti, à quibus Dei gratiā præservamur. Hinc est memorabilis illa Augustini sententia 2. confess. cap. 7. *Gratia tua Domine deputo quod peccata mea inquam glaciem solvis gratia tua etiam deputo quæcunque mala non feci; omnia dimissa mihi esse fateor; & quæ mea sponte feci, & quæ te duce non feci.*

345 Ad Chrysostomum respondet D. Thomas 3. p. quæst. 27. art. 4. ad 3. ipsum vel excessisse quantum ad hoc, vel hoc dixisse sequendo aliorum sententiam. Ad Augustinum verò respondet ibidem ad 2. illum esse intelligendum, non de dubitatione circa fidem culpabili, sed de stupore quodam ex admiratione causato, quæ verum Deum in carne assumptum pati & mori mirabatur. Ad id quod liber ille questionum novi & veteris testamenti non est Augustini, ut in Tractatu de statibus naturæ humanæ ostendimus.

Disp. 1.
art. 3.

ARTICULUS VIII.

Verum ad finaliter perseverandum requiratur speciale donum, à gratia & auxiliis eam concomitantibus distinctum, & in quo formaliter consistat?

S. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

346 Notandum primò cum D. Thomæ hic art. 10. & 2. quæst. 137. art. 4. præservantiam dupliciter sumi; uno modo pro habitu virtutis inclinante voluntatem ad perseverandum, seu non deficiendum in bono incepto: alio modo pro ipso actu perseverandi, seu ipsâ actuali executione perseverantiæ. De perseverantia primo modo sumpta eleganter disserit D. Bernardus in quadam Epistola, ubi sic eam describit: *Perseverantia est unica filia summi Regis, finis virtutum, earumque consummatio, totiusque boni repositorium, & virtus sine qua nemo videbit Deum. Absque perseverantia, nec qui pugnat, victoriam, nec victor pacem consequitur. Hæc nectum nutrix ad meritum, sed etiam mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, confortatrix filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimiæ vinulum, sanctitatis propugnaculum. Tolle perseverantiam, nec obsequium mer-*

Acedem habet, nec beneficium gratiam, vel laudem fortitudo. Denique, hæc sola (ut dicit Augustinus) informat meritum, remunerat currentem, coronat pugnantem, & cunctos ad portum conducit. Unde Gregorius Magnus lib. 1. Moral. cap. 21. *Incaustum* (inquit) bonum agitur, si ante terminum vita deferatur: quia & frustra velociter currit, quæ priusquam ad metas veniat, deficit. Hinc est enim quod de reprobis dicitur: *Ve qui perdidit sustinentiam*. Ioseph, qui inter fratres iustus perseverasse dicitur usque ad finem, solus talarum tunicam habuisse perhibetur: nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi protensa tunica talum corporis operit, cum bona actio ante Dei oculos usque ad vitam terminum regit. Hinc est quod per Moysen caput & caudam hostia in altari offerre precipimur, ut videlicet omne bonum quod incipimus, etiam perseveranti fine impleamus.

Observant etiam aliqui Scripturæ Interpretes, quod olim Deo offerebantur non tantum primitiæ, sed etiam & decimæ, quia ab ipso non tantum est inchoatio bonorum operum, per primitias significata, sed etiam perseverantia in eis, designata per decimas. De quo vide Glossam Genes. 14. ad illa verba: *Et dedit ei decimas.*

Notandum secundò, quod perseverantia sumpta pro actu, potest sumi dupliciter; vel pro continuatione in gratia longo tempore, abstrahendo ab hoc quod continueretur usque ad mortem: vel pro permanentia in gratia usque ad finem vitæ inclusivè, quæ *Perseverantia finalis* appellatur. De perseverantia primo modo sumpta egimus supra art. 6. conclus. 3. ubi ostendimus hominem iustum, ut diu abstineat à peccatis mortalibus, & in bonis operibus perseveret, præter gratiam habitualement indigere speciali auxilio: unde superest nobis hic agendum de finali perseverantia, de qua S. Doctor articulo ultimo huius questionis disserit. Sed

Notandum tertio, quod perseverantia finalis potest esse duplex. Prima quando quis brevi tantum tempore in gratia perseverat, sed tamen quia in hoc brevi intervallo contingit eum mori, dicitur in finem usque perseverare: quo sensu bonus latro in gratia perseveravit, licet modico tempore in ea fuerit. Secunda est, quando quis longo tempore in gratia perseverat, & eam usque ad finem vitæ inclusivè conservat.

His præmissis, & relicto errore Pelagii & Celestii, asserentium hominem ex viribus naturæ posse perseverare in gratia usque ad finem, cum ex naturalibus possit non peccare, & omnia legis mandata observare, ut refert D. Augustinus Epist. 94. tres circa propositam difficultatem reperio sententias.

Prima est Massiliensium, qui dicebant gratiam quidem esse necessariam ut homo perseveret usque in finem, eam tamen non esse distinctam, sed eandem numero cum gratia quæ quis potest perseverare; atque adeo dari omnibus donum perseverantiæ, etiam si actu & de facto non perseverent. Ita de illis refert Hilarius Arelatensis in Epistola ad Augustinum, cuius verba infra referemus.

Secunda est quorundam Catholicorum, qui licet admittant requiri speciale donum ad perseverandum finaliter, quando quis longo tempore ante mortem in gratia perseverat, secus tamen quando brevi tempore post acceptam gratiam eum mori contingit. Unde illi non existimant requiri speciale donum ad perseverantiam,

gratiam, præcisè ex eo quod est finalis, & conjunctio mortis cum gratia, sed solum ex eo quod est diuturna. Ita docet Andreas Duvalius Doctor Sorbonicus, in Tractatu de gratia quæst. 1. art. ultimo, citans pro hac sententia Driedonem & Vegam.

Tertia sententia asserit necessariam quidem esse specialem gratiam ad perseverandum; in statu naturæ corruptæ, non tamen in statu integritatis, seu innocentie. Hanc insinuat Curiel hic dubio 2. §. 4. ubi ait: primum hominem indiguisse auxilio gratiæ, dante ei posse, non tamen infallibiliter perseverare, eamque ex professo docet Jansenius varijs in locis asserens Adamum in statu innocentie, præter auxilium debitum integritati naturæ, & gratiæ habituali, dans illi posse perseverare, non indiguisse alio magis speciali ad perseverandum finaliter in bono.

§. II.

Semipelagianorum error proscribitur

Dico primò: ad actum perseverandum in justitia usque ad mortem, præter gratiam habitualem, & auxilia communia ei annexa, requiritur aliud donum seu auxilium speciale.

Probatur primò ex Concilio Arausicano 2. can. 10. ubi sic dicitur: *Adjutorium Dei etiam renatus & sanctus semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Ergo præter gratiam habitualement quæ homines sanctificantur, & ipso Christo renascuntur, auxiliaque communia ei annexa, ad perseverandum finaliter necessarium est novum aliquid auxilium, quod à Sanctis quotidie est petendum & implorandum. Unde Tridentinum sess. 6. can. 22. sic ait: *Si quis dixerit justificationem sine speciali Dei auxilio perseverare posse, anathema sit.* Et ibidem can. 16. *Si quis inquit magnum illud perseverantia donum est.* Quibus verbis hujus doni magnitudinem declarat, illudque proinde à communibus gratiæ auxilijs esse distinctum aperte significat.

Idem docet Augustinus toto libro de bono perseverantia, contra Semipelagianos edito, idque probatum varijs Scripturæ testimonijs, tum etiam ratione desumpta ex orationibus fidelium & justorum, qui à Deo finalem perseverantiam humiliter petunt, cum dicunt in oratione dominica, *Adveniat regnum tuum.* Cur (inquit ibidem cap. 2.) perseverantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo? Nonne ista irrisoria petitio est cum id ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare; sed ipso non donante esse in hominis potestate? Sicut irrisoria est etiam illa gratiarum actio, si ob hoc gratia aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit. Unde ibidem perseverantiam, Magnum Dei donum, quo ceteræque dona conservantur, appellat.

Probatur secundò conclusio ratione quam habet D. Thomas 3. contra gent. cap. 115. ubi sic dicitur: *Omne quod de se est variabile, ad hoc quod figatur in uno, indiget auxilio alicujus moventis immobilitatis: homo autem variabilis est, & de malo in bonum, & de bono in malum: ad hoc igitur ut immobilitate perseveret in bono, indiget auxilio divino.* Quam rationem paulò fusiùs expendit 2. quæst. 137. art. 4. his verbis: *Perseverantia dupliciter dicitur: uno modo pro ipso habitu perseverantia, secundum quod est virtus; & hoc modo indiget dono habitualis gratiæ sicut & ceteræ virtutes infuse; alio modo potest accipi pro actu perseverantia durante usque ad mortem.*

Et secundum hoc indiget non solum gratiæ habituali, sed etiam gratiæ Dei auxilio, conservantis hominem in bono usque ad finem vite. Quia cum liberum arbitrium de se sit veribile, & hoc non tollatur per habitualement gratiam presentis vite, non subest potestati liberi arbitrii, etiam reparati, ut se immobilitate in bono statuatur, licet sit in potestate ejus quod hoc eligat: periculum enim cadit in nostra potestate electio, sed non executio.

Probatur tertio: Gratia habitualis datur pluribus, cum auxilijs communibus ei annexis, ad bene operandum & persistendum in bono, etiam per longum tempus, qui tamen finaliter non perseverant: Ergo perseverantia finalis est donum speciale, à gratia habituali, & auxilijs ordinarijs eam concomitantibus, distinctum. Atque evidens est ita certum, ut plures sint reprobi, quibus major gratia habitualis, pluræque etiam auxilia sufficientia communicantur, quam multis prædestinatis, ut patet in illis reprobis, qui postquam longo tempore in bono etiam non tepide perseverarunt, occulto postea Dei judicio, in aliquod peccatum mortale labuntur, & in eo moriuntur; & contra in illis prædestinatis, qui post multa scelera perpetrata convertuntur, & vi Sacramenti Penitentia, cum sola attritione iustificantur, & statim moriuntur, ut non infrequenter evenire creditur ijs qui supplicio vitam finiant.

Nec valet, si dicas, dari omnibus gratiam, & auxilia sufficientia, quibus possint ulque ad mortem in gratia perseverare, sed quosdam ijs bene uti, quosdam male & ideo illos perseverare, non vero istos, ac proinde perseverare non esse donum à gratia & auxilijs ex parte Dei distinctum. Non valet, inquam, Primò quia hæc responsio aperte repugnat doctrinæ Augustini lib. de corrept. & gratia cap. 12. ubi ait: *Tantum quippe Spiritus Sancto accenditur voluntas eorum (scilicet Sanctorum) ut ideo possint quia sic volunt, ideo sic volunt, quia Deus operatur ut velint.* Nam si in tanta infirmitate vita hujus, ipsi relictæ diceretur voluntas, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellet, nec Deus in eis operaretur ut vellet, inter tot & tantas tentationes, infirmitate suâ voluntas ista succumberet; & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmari non vellet, aut non ita vellet infirmitate voluntatis; & possent, subventum est igitur infirmitati voluntatis humane, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur. Quibus verbis S. Doctor aperte docet, ad actum perseverandum in bono, supposito etiam auxilio sufficienti, sine quo non potest aliquis perseverare, adhuc requiri aliud auxilium efficax, quo infallibiliter flectatur voluntas, & perseverantia ipsa de facto donetur, & quo Sancti & electi non nisi perseverantes sint. Quam doctrinam ita ægrè ferebant Massilienses, ut dicerent ex ea homines inquandam desperationem adduci, ut testatur Hilarius in Epistola ad Augustinum: *Molestum (inquit) ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non quia fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc vero sanctis in regnum per gratiam prædestinatis, non tale adjutorium perseverantia datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.*

354 *Int. Hic verbis sanctitatis tua ita moventur, ut dicant*
quandam desperationem hominibus exhiberi.

Deinde ex prædicta responsione & doctrina innumera sequuntur absurda & inconvenientia: nam si donum perseverantiae subiceretur libero arbitrio, & ab eo quantum ad efficaciam & usum dependeret, sequeretur primum, quod illi qui perseverant, se ab aliis discernere per aliquid sibi proprium, nimirum per bonum usum liberi arbitrii, determinantis & applicantis gratiam, contra illud 1. ad Corinth. 4. *Quis enim te discernit?* Et insuper de sua perseverantia possent adversus alios inflari & gloriari, quasi eam non accepissent, contra id quod ibidem dicitur: *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Et ratio est, quia id quo perseverantes à non perseverantibus distinguerentur, non esset gratia & Dei donum.

Sequeretur etiam, Deum per gratiam dare nobis solum posse perseverare: ipsum autem perseverare esse à libero arbitrio, subindeque illud quod est minus bonum & perfectum, tribui Deo, & gratia; illud verò quod est melius & perfectius, nobis, & libero nostro arbitrio: quod in Pelagianis Augustinus sæpe reprehendit.

Item sequeretur, iustos non debere à Deo petere actualem perseverantiam, nec pro ea ipsi gratias agere: quia ut ait Augustinus Epistolâ 107. *Prorsus non oramus Deum, sed orare fingimus, si nos ipsos, non illum credimus facere quod oramus. Prorsus non agimus gratias Deo, sed agere fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.* Hoc autem absurdissimum est: nam ut docet D. Thomas 3. contra Gent. cap. 155. perseverantiam finalem petimus à Deo in oratione dominica, illis verbis, *Adveniat regnum tuum*: imò in omni petitione illius orationis, perseverantia donum postulari (præterquam in illâ: *Dimitte nobis debita nostra*) ex Cypriano probat Augustinus lib. de bono persever. à capite secundo usque ad sextum.

Denique ex hac responsione sequeretur, prædestinationem esse incertam & fallibilem, utpote innixam medio fallibili, scilicet perseverantia dono, quod non potest esse firmum & stabile, & ejus efficacia à causa mobili & defectibili, nimirum humana voluntate, dependeat. Unde Trideurinum sess. 6. cap. 13. hujus doni infallibilitatem & efficaciam, non in Dei præscientiam, explorantem futurum nostram voluntatis consensum, sed in divinam omnipotentiam refert: ait enim initio hujus capituli, quod est de perseverantia munere, tale donum aliunde haberi non posse, NISI AB EO QUI POTENS EST, eum qui stat statuere, ut perseveranter stet, & eum qui cadit restituere. Similiter Augustinus lib. de concept. & gratia cap. 8. manifeste docet perseverantia donum à libero arbitrio independens esse, & tamen liberam voluntatem donare, dum inquit: *Si ad liberum arbitrium hominis pertinere dicitur perseveret in bono quisquam, vel non perseveret, non Deo donante si perseveret, sed humanâ voluntate faciente, quid moliturus es contra verba dicentis: Rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua? & audebis dicere, etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri, defecit autem fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, quasi aliud Petrus nullo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset ut vellet? Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea qua fidelis erat vo-*

luntas ipsa deficeret; & permanens, si eadem maneret? Sed quia præparatur voluntas à Domino, idcirco illo non posset esse inanis oratio. En quomodo S. Doctor recurrit ad præparationem Dei, non verò ad ejus præscientiam, ut ostendat infallibilem Petri in fide perseverantiam.

Quartò probari potest conclusio ratione fundamentalis. Effectus providentiæ specialis, habens infallibilem connexionem cum gloria & æterna salute, est specialissimum Dei donum, à gratia habituali, & communibus auxiliis ipsi adjunctis distinctum; cum ea ut sic non sint effectus providentiæ specialis, sed generalis, pertinentis ad ordinem supernaturalem, utpote communia reprobis & prædestinatis: Sed perseverantia finalis est effectus specialissimus & ultimus prædestinationis, quæ est providentia specialis ordinis supernaturalis, & habet infallibilem connexionem cum gloria & salute æterna, juxta illud Christi Matth. 10. *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit*: unde egregie Augustinus lib. de cognitione veræ vitæ: *Ad summum bonum (inquit) justiquadam catenâ erabuntur, qua de virtutibus hoc modo connectitur in primis fides animam, quasi quidam circulus complectitur, fides spe nutritur, spes dilectione tenetur, dilectio operatione expletur, operatio ad summum bonum intentione trahitur, intentio boni perseverantia clauditur, perseverantia Deus fons omnium bonorum datur.* Ergo perseverantia finalis est speciale Dei donum, à gratia habituali, & communibus auxiliis distinctum.

§. III.

Duvallij sententia rejicitur.

Ico secundò: requiritur speciale donum ad perseverandum in gratia usque ad mortem etiam in adultis, qui post acceptam gratiam citò moriuntur, & in parvulis baptizatis, decedentibus ante usum rationis. Ita communiter docent Theologi, & oppositum videtur periculosum, & parum tutum, ut ait Joannes à S. Thoma, hic disput. 21. art. 2. ubi etiam conclusionem nostram probat duplici ratione.

Prima sic potest proponi. Perseverantia est donum quod habetur ex speciali gratia & providentia: Sed adulti qui post acceptam gratiam cito moriuntur, & parvuli baptizati, ante usum rationis decedentes, verè & propriè habent donum perseverantia: Ergo indigent speciali auxilio, seu dono, à gratia habituali & auxiliis ei adjunctis distincto. Major patet ex dictis §. præcedenti. Minor verò expresse habetur in Divo Augustino, lib. de bono persever. cap. 1. sic dicente: *Hanc certè, de qua nunc agimus perseverantiam usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem; potiusque hanc habuit unus annus fidelis, & quantum infra cogitari potest, si donec moriatur, fideliter vixit, quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem à fidei stabilitate defecit.* Ubi vides quomodo Augustinus illam perseverantiam, de qua agit contra Semipelagianos, negantes esse donum Dei speciale, dicit consistere in hoc quod fideliter aliquis moriatur, etiam si sit unius anni fidelis aut etiam unius diei, aut horæ, hoc enim totum infra annum cogitari potest. Unde cap. 17. ejusdem libri subdit: *Videte à veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem*

finem huius vite, cum vite huic quando voluerit ipse A
desinens, quem si dat ante imminuentem lapsum, fa-
cit hominem perseverare usque in finem. Sed mirabi-
lior & fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est,
quod etiam parvulus quibus obedientia non est illius ara-
tis ut detur, datur hac gratia. Ubi etiam dari par-
tis ut detur, datur hac gratia. Ante usum rationis decedenti-
bus, donum perseverantiæ finalis aperte docet.

117 Secunda ratio est: Quod adultus post acce-
ptam gratiam occidatur, vel puer fonte baptis-
matis regeneratus moriatur, antequam ad u-
sum rationis perveniat, specialis Dei gratia est,
quia est effectus specialis providentiæ Dei, di-
spONENTIS eorum mortem pro tempore quo sunt
in gratia, & non finientis eos diutius vivere, ne
expositi gravibus tentationibus, & subditi ver-
B
bilitati arbitrii, eam amittant antequam mori-
antur: juxta illud Sapient. 4. Raptus est ne mali-
tia mutaret intellectum ejus. Ergo ad perseveran-
dum in gratia usque ad mortem, etiam per bre-
ve tempus, requiritur speciale Dei donum &
beneficium, saltem extrinsecum, seu specialis
divinæ providentiæ dispositio, quæ gratia cum
morte conjungatur.

118 Confirmatur: Omnis perseverantia usque in
finem est effectus prædestinationis, ita illi pro-
prius, ut nulli alteri possit competere: At quod
sic cum prædestinatione comparatur, speciale
C
donum & beneficium est, cum prædestinatio sit
providentia specialissima ordinis supernatu-
ralis: Ergo omnis perseverantia finalis, sive
ad longum, sive ad breve tempus se extendat,
est donum & beneficium Dei speciale.

§. IV.

Præcipue objectiones solvuntur.

119 Obijcies primò contra primam conclusio-
nem. Ad finiendam vitam in gratia, suffi-
ciunt gratia ipsa cum auxiliis eam de lege ordi-
naria consequentibus, & causæ naturales: Ergo
frustra fingitur aliud speciale donum. Antece-
dens probatur: Gratia cum hujusmodi auxiliis
est sufficiens ad omnia peccata vitanda per ali-
quod tempus, intra quod causæ naturales pos-
sunt inferre mortem, v.g. morbus, intemperies
aëris, & similia: Ergo ad finiendam vitam in
gratia sufficiunt ista.

120 Respondeo illa omnia assignata sufficere qui-
dem ad conjungendam mortem cum gratia,
tanquam causas per accidens, non verò ut cau-
sas per se: quia causa per se est quæ ex vi pro-
priæ causalitatis respicit effectum, cujus dicitur
causa per se; illa autem in argumento assignata
non ordinantur ex vi propriæ causalitatis ad
conjungendam mortem cum gratia: unde cum
non sit dicendum hunc effectum esse merè causa-
lem & fortuitum, necesse est ponere aliud do-
num distinctum, quo ita disponantur & præpa-
rentur omnes causæ, ut tunc mors a causis natu-
ralibus aut violentis inferatur, quando homo
existit in gratia.

121 Obijcies secundò: Homo habens gratiam, ha-
bet jus ad gloriam, quæ in gratia, & fructus in
semine, virtualiter continetur, juxta illud Apo-
stoli: Gratia Dei, vita æterna: Ergo continuatio
gratiæ cum gloria, ex debito, & non ex specia-
li gratia contingit, subindeque perseverantia,
faciens conjunctionem gratiæ cum gloria, non
est speciale donum, seu specialis providentia,
homini habenti gratiam indebita.

122 Confirmatur: Auxilium ad perseverandum

est debitum virtuti infusa perseverantiæ: Ergo
& gratiæ sanctificanti, à qua talis virtus, ut pro-
prietas ab essentia, dimittat. Consequentia legi-
tima est: Antecedens probatur. Unicuique for-
mæ est debitum auxilium ad ejus operationem:
Sed propria operatio virtutis perseverantiæ est
in bono incepto perseverare: Ergo auxilium
ad perseverandum est debitum virtuti perseve-
rantiz.

Ad objectionem respondeo, concessio Antec-
cedente, negando Consequentiam: licet enim
homo iustus habeat jus ad gloriam, quandiu est
in gratia, non tamen habet jus ut usque ad mor-
tem in gratia conservetur, seu ut mors cum gra-
tia conjungatur, cum pro hoc statu, ratione li-
beri arbitrii, ad bonum & ad malum vertibilis
sit; unde quod quis à Deo protegatur, ut non
amittat gratiam, cum adest mors, est maximum
& specialissimum donum & beneficium, ac præ-
cipuus effectus prædestinationis: sicut econtra
quod aliquis permittatur mori in peccato, seu
peccatum cum morte conjungi, est ultimus re-
probationis effectus, de quo Christus dicebat
Joan. 8. Ego vado, & quaeritis me, & in peccato vestro
moriemini.

Ad confirmationem nego Antecedens. Ad
cujus probationem dicendum, quod virtus per-
severantiæ est habitus inclinans ad internum
propositum, & actum electionis, quo quis inte-
rius proponit & eligit perseverare usque ad
mortem, & sic auxilium correspondens huic
virtuti, solum est ad prædictum actum, qui est
perseverantia in affectu: unde ultra hoc, ex
speciali & indebita gratia est quod detur perse-
verantia in effectu, sive in executione: cujus ra-
tionem tradit D. Thomas 2. 2. quæst. 137. art. 4.
in fine corporis, dicens: Plerumque enim adis in
nostra potestate electio, sed non executio.

Obijcies tertio contra secundam conclusio-
nem: In casu quo ab instanti justificationis usque
ad mortem solum intercedat facile præceptum
D
servandum, ad perseverandum finaliter specia-
lis gratia necessaria non est: Ergo ad omnem
perseverantiam finalem gratia speciali non re-
quiritur. Consequentia patet: Antecedens pro-
batur. Ad tunc perseverandum finaliter solum
est necessarium auxilium ad observandum tale
præceptum: Sed ad observantiam illius præ-
cepti specialis gratia necessaria non est, ut con-
stat ex dictis art. 3. Ergo ad tunc perseveran-
dum finaliter, nulla exigitur gratia speciali.

Confirmatur: D. Thomas hic art. 10. necessi-
tatem specialis gratiæ ad perseverandum finaliter
probat ex necessitate auxilij protegentis, &
dirigentis hominem contra tentationum impulsus:
Sed in casu posito non indiget homo tali au-
xilio, cum nulla occurrant graves tentationes:
Ergo neque gratia speciali.

Ad objectionem respondeo, negando Antec-
cedens. Ad cujus probationem, nego etiam Ma-
jorem: nam præter auxilium ad observandum
tale præceptum (quod non est speciale, sed ge-
nerale) requiritur specialissimum Dei benefi-
cium, quo gratiam cum morte conjungat, seu
quo gratiam infundat, & mortem inferat, in-
tentione conjunctionis utriusque.

Dices: Ad conjunctionem gratiæ cum morte,
solum requiritur, quod conservetur gratia, &
quod mors tunc eveniat: At mortis eventus na-
turalis est, & gratiæ conservatio est benefi-
cium generale ordinis supernaturalis: Ergo
utriusque

utriusque conjunctio, specialissima gratia non est.

Respondeo quod licet gratia infusio, secundum se considerata, sit beneficium generale ordinis supernaturalis, infusio tamen ejus ex intentione ut cum morte conjungatur, speciale beneficium est, quia huic conjunctioni est annexa gloria infallibiliter, & ex illius efficaci intentione procedit. Similiter licet mors, considerata secundum rationem omnibus hominibus communem, non sit donum Dei, sed potius poena primi peccati, per quod in mundum intravit, ut ait Apostolus ad Roman. 5. prout tamen est conditio quaedam requisita ad habendum statum immobilem in gloria, & ad gloriam obtinendam, datur ex speciali Dei providentia, & est speciale ejus beneficium, sicut & ipsa beatitudo ad quam perducit. Unde egregie Augustinus: *Tantum Deus gratiam fidei praeferit, ut mors, quam constat vite esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur ad vitam.*

Lib. 13.
de civit.

369 Ad Confirmationem ex autoritate D. Thomae desumptam, dicatur ipsum loqui de perseverantia finali, longo tempore durante, ad quam necessarium requiritur divinum auxilium, tum protegens, tum dirigens contra impulsus temptationum. Dici etiam potest, in casu posito intervenire protectionem divinam, quasi praeservativam, quatenus ea intentione Deus mortem homini immittebat, ut a temptationibus eventus, si diutius vita duraret, eum liberet, juxta illud Sapient. 4. *Raptus est ne malitia muraret intellectum ejus: & istud Christi Matth. 24. Nisi brevis fuisset dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.*

§. V.

Janseii sententia confutatur.

Dicertur: Homo in statu innocentiae, praeter auxilia debita connaturaliter integritati naturae, gratiae habituali, & virtutibus infusis, à quibus habebat quod posset perseverare, alio speciali auxilio ad perseverandum infallibiliter usque in finem status via indigebat.

370 Probatur primo ex D. Augustino Epistola 106. ejus verbis Concilium Arausicanum canonem 19. composuit, in quo dicitur: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adjuvante, servaret.* Neque potest responderi, Concilium loqui de auxilio dumtaxat sufficienti, & communi, tribuente posse perseverare; non vero de efficaci & speciali, conferente actu perseverare; alias enim contra ille, adversus Semipelagianos editus, nihil contra ipsos determinaret, utpote cum illi auxilia sufficientia ad perseverandum finaliter non negarent, sed dumtaxat efficacia, ut fatetur Jansenius.

371 Probatur secundo ex D. Thoma, hic art. 10. ad 3. ubi ex Augustino docet quod homo in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset, non autem sic, ut perseveraret. Ergo sentit hominem in statu innocentiae, praeter auxilium debitum integritati naturae, & gratiae habituali, dans illi posse perseverare, indiguisse alio magis speciali ad perseverandum finaliter in bono. Unde quaest. 27. de virtut. art. 5. ad 3. docet, quod tunc homo indigebat ad perseverandum divina providentia eum dirigente & adjuvante.

372 Probatur tertio: Eadem est ratio de homine in statu innocentiae, quoad indigentiam specialis auxilii ad perseverandum, ac de Angelis bonis, ut fatetur Jansenius, & est manifestum: Sed bo-

A ni Angeli eguerunt speciali auxilio, ut finaliter in bono perseverarent: Ergo & primi parentes in statu innocentiae. Minor probatur ex Augustino. 12. de civit. cap. 9. ubi Angelos bonos, qui in dilectione Dei perseverarunt, accepisse majus aliquod auxilium, quam mali qui ceciderunt, aperte docet his verbis: *Isti mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuvi, ad eam beatitudinem plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.* Quod certe supponit bonos Angelos indiguisse ad perseverandum speciali auxilio; alias enim frustra omnino dicerentur amplius adjuvi. Neque potest majus illud adiutorium, bonis Angelis concessum, de certa scientia, quae jam beati noverunt se nunquam lapsuros, interpretari, ut recte demonstrat Eftius in 2. distinct. 41. §. 13. cujus verba retulimus in Disput. 5. art. 7. Tractatu de voluntate Dei.

Quarto probari potest conclusio ratione D. Thomae, quam supra §. 2. fuisse expendimus. 373 Omne quod est de se venerabile, ad hoc ut figuratur in uno, indiget auxilio alicujus agentis immobilis: Sed liberum arbitrium in Angelis, & in primis parentibus erat mobile, ac vertibile de bono in malum, ut infelix eventus satis ostendit: Ergo ut firmarentur in bono, & in eo infallibiliter perseverarent, speciali Dei auxilio indigebant. Unde D. Augustinus concione 2. in Psal. 32. loquens de bonis Angelis, sub nomine & figura celorum, inquit: *Nec ipsi firmitatem sibi propriam praestiterunt: verbo Domini celi firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Idem docet Gregorius Magnus lib. 2. Moral. cap. 8. ubi de Angelis ait, *Alii cadentibus, alios à Deo fuisse solidatos, utique similiter casuros, nisi solidati fuissent.*

Denique eadem veritas suaderi potest alia ratione, quam loco citato insinuavimus. Auxilium quod est effectus specialis divinae providentiae, est speciale: Sed auxilium quo homo in statu innocentiae indigebat ad perseverandum infallibiliter in bono usque ad finem viae suae, erat (etiam supposita iustitia originali, & gratia sanctificante) effectus specialis providentiae Dei pro illo statu: Ergo homo in statu innocentiae, praeter auxilia, gratiae sanctificantis, & iustitiae originali connaturaliter debita, quibus poterat perseverare, indigebat alio speciali, quo de facto & infallibiliter perseveraret. Major constat: Minor verò probatur. In quocumque statu homo existat, semper effectus praedestinationis ejus, est effectus specialis providentiae Dei erga ipsum: Sed auxilium homini in statu innocentiae necessarium ad infallibiliter perseverandum usque in finem viae, fuisset effectus praedestinationis ejus in tali statu: Ergo & effectus specialis providentiae Dei. Minor est evidens: cum enim ex una parte praedestinationi nihil aliud sit in intentione Dei, quam praeparatio, & in executione nihil aliud quam collatio donorum, quibus certissime creatura rationalis gloriam aeternam sibi acquirit: ex alia verò parte auxilium necessarium ad infallibiliter perseverandum in gratia usque ad finem status viae, sit unum, imò maxime praecipuum ex illis donis, manifestum est, quod fuisset effectus maxime praecipuus praedestinationis hominis in statu innocentiae existentis, etiam si remanisset in illo statu. Major verò probatur: In quocumque statu homo consideretur, semper ejus praedestinatio est specialis providentia Dei erga ipsum, est enim specialis electio ipsius praeter alios ad glo-

ad gloriam: Ergo in quocumque statu confide-
retur homo, effectus prædestinationis eius est
effectus specialis providentiæ Dei erga ipsum.

375 Dices cum Janſenio: Si Adam in statu inno-
centiæ perseverasset usque ad finem viæ suæ, dif-
cretio hominum salvandorum, atque adeo co-
rectio hominum salvandorum, non fuisset ex
gratia, nec à Deo, sed à libero arbitrio, five ab
ejus merito ut prævisio, antequam Deus illos
prædestinaret, ac proinde tunc prædestinatio
hominum non fuisset specialis providentiæ Dei.

376 Sed contra primò: Eadem est ratio, quantum
ad hoc, de hominibus in statu innocentia, ac de
Angelis in statu viæ, ut faceret Janſenius: Sed
diferetio bonorum & malorum Angelorum fuit
ex Deo, & gratia ipsius, non verò ex libero ar-
bitrio, five ex ejus merito ut prævisio: Ergo &
diferetio hominum salvandorum à reprobis, in
statu innocentia, fuisset ex Deo, non verò ex li-
bero arbitrio, five ex ejus merito ut prævisio.

Minor probatur ex Augustino 1. de civit. cap.
19. ubi ait, inter sanctos Angelos & immundos fuisse
diferetum, ubi dictum est, & divisit Deus inter tene-
bras & lucem: & addit, Solus quippe Deus illa discer-
nere potuit. Unde Apocal. 7. omnium Angelo-
rum in conspectu throni Dei procidentium, hæc
est perpetua laus & confessio: Benedictio & clari-
tas, & sapientia, & gratiarum actus, honor, virtus, &
fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum, Amen. Qui-
bus verbis, omnium bonorum gloriam ad Deum
referentes, deque omnibus Deo gratias agen-
tes, omne meritum, & omnem bonum liberi ar-
bitrii usum, eorumque in bono perseverantiam,
in Deum ut autorem reducant.

377 Contra secundò: Cum omnis ordinatè appe-
tens prius intendat finem, quam media ad illum
ordinata velit, materiaque electorum sine media
eos ad gloriam conducentia; non potest Deus
abique inordinatione prius velle, nec proinde
prius videre meritum hominis in aliquo statu,
quam ipsum prædestinet ad gloriam, ut in Tra-
ctatu de prædestinatione fuisse ostendimus.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

378 Obijcies primò. D. Augustinus lib. 1. de cor-
rept. & gratia cap. 11. & 12. expressè docet,
quod Adam per liberum arbitrium perseverare
poterat, & quod ut veller perseverare, Deus
in ejus reliquerat arbitrio: Sed illud non dicitur
relictum arbitrio, vel fieri per liberum arbi-
trium, quod sit tantum ex gratia speciali, five ad
quod requiritur speciale auxilium: Ergo in do-
ctrina Augustini, Adam in statu innocentia non
indigebat auxilio speciali ad perseverandum,
superaddito donis integritatis naturæ & gra-
tiæ sanctificantis, ac concursui ipsius connatu-
raliter debito.

379 Respondeo quod quando D. Augustinus af-
firmat Adamum per liberum arbitrium potuisse
in bono perseverare, solum intendit declarare
facilitatem quam habebat perseverandi in bo-
no, ratione doni integritatis perfectè subjicien-
tis partem inferiorem superiori, & superiorem
Deo, ac prohibentis omnem rebellionem, seu
motum inordinatum concupiscentiæ. Unde ibi-
dem cap. 11. sic ait: Ille non opus habebat eo adju-
torio quod implorant sancti, cum dicunt, video aliam
legem in membris meis, repugnantem legi mentis
mee &c. quoniam in eis caro concupiscit adversus
spiritum, & spiritus adversus carnem, atque in tali
certamine laborantes ac periclitantes, dari sibi pu-

gnandi vincendique virtutem per Christi gratiam
possunt. Ille vero nullā rixā à seipso adversus seipsum
tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco, sibi
secum pace fruebatur. Solutio est D. Thome
2. 2. quæst. 137. art. 4. ad 2. ubi hunc locum Au-
gustini, qui est præcipuum Janſenianæ doctrinæ
fundamentum, ita interpretatur, ait enim: Dicit
Augustinus in libro de corrept. & gratia, quod primo
homini datum est, non ut perseveraret, sed ut perse-
verare posset. PER LIBERUM ARBITRIUM,

quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ
PERSEVERANDI DIFFICULTATEM præ-
beret. Unde S. Augustinus solum intendit exclu-
dere à statu innocentia necessitatem specialis
auxilii sanantis infirmitatem naturæ (quale in
nobis requiritur ad perseverandum) non tamen
negat in primo homine necessitatem specialis
auxilii, figentis ac firmantis liberi ejus arbitrii
vertibilitatem.

Obijcies secundò: Donum perseverantiæ erat
debitum connaturaliter homini in statu integri-
tatis & innocentia: Ergo non erat speciale Dei
beneficium. Consequentia manifesta est. Antece-
dens probatur. Omni formæ in suo fine, non
impeditur debetur concursus ad id omne, quod
ex natura sua exigit: Sed gratia habitualis in
homine integro, est forma ex natura sua exi-
gens perseverantiam & firmitatem, nullumque
quantum ad hoc patiens impedimentum, sicut
patitur in homine lapsa, ob rebellionem concu-
piscentiæ: Ergo ei debitum fuisset titulo connat-
uralitatis auxilium ad perseverandum.

380 Respondeo negando Antecedens. Ad cuius
propositionem, data Majori, nego Minorem: licet
enim gratia existens in homine integro non pa-
teretur, sicut in homine lapsa, impedimentum
quoad sui conservationem, ex parte rebellionis
concupiscentiæ proveniens: erat tamen obno-
xia impedimento, quod consistebat in mobilitate
& vertibilitate liberi arbitrii, ut constat ex
dictis in quarta propositione conclusionis.

381 Obijcies tertio: Debet assignari aliqua diffe-
rentia, quantum ad necessitatem doni perseve-
rantia inter statum naturæ lapsæ, & statum natu-
ræ integræ; imò talem differentiam valde ex-
aggerat D. Augustinus in libris de corrept. &
gratia, & de bono perseverantiæ: Sed nulla erit
assignabilis quoad hoc differentia inter illos
duos status, si homo in natura integra indiguit
auxilio speciali ad perseverandum; nam juxta
hanc doctrinam, erit dicere, quod sicut ad
perseverandum actum non satis est in natura lapsa
auxilium sine quo perseverari non possit, sed re-
quiritur insuper auxilium quod perseveretur de
facto; ita & in statu naturæ integræ: Ergo &c.

382 Respondeo concessa Majori, negando Mino-
rem: cum enim necessitas auxilii specialis ad
perseverandum in gratia, proveniret in natura
integra præcisè ex vertibilitate liberi arbitrii,
in natura vero lapsa oritur etiam ex rebellionem
concupiscentiæ; sufficiens itaque inde salvari dispa-
ritas quoad ejus necessitatem inter statum natu-
ræ integræ, & statum naturæ lapsæ: falsum autem
omnino est, quod D. Augustinus locis citatis ex-
aggeret differentiam inter statum naturæ inte-
græ, & statum naturæ lapsæ, quoad necessitatem
gratiæ ad perseverandum; solum enim ibi in hoc
distinguit illos duos status, quod cum Adamus
in priori non perseveraverit, solum potentiam
ad perseverandum accepit; at verò in postero-
ri, cum aliqui de facto perseverent, præter po-
tentiam

tentiam ad perseverandum ipsum actualis perseverantia donum accipiunt. Primò (inquit) homini datum est adiutorium perseverantia, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adiutorium perseverantia datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.

384 Obijcies quartò: Potest Deus infundere voluntati viatoris habitum illam immobilitantem in bono, cui proinde debita sunt auxilia efficacia ad nunquam peccandum: At talis habitus nihil aliud haberet, quam habuerint illi quos Deus homini contulit in statu innocentia; cum per illos natura esset integra & perfecta in utroque ordine naturæ & gratiæ, quo nihil amplius ille habitus præstare posset: Ergo de facto erant debita huiusmodi auxilia homini in statu innocentia, subindeque donum perseverantia in illo statu non fuisset speciale Dei beneficium. Majori docent plures ex nostris Thomistis in Tractatu de incarnatione, eamque probant primò, quia Deus potest reddere impeccabilem animam viatoris, per collationem gratiæ habituales, ut participantem perfectionem aliquam gratiæ consummata comprehendit; quomodo beatam Virginem factam fuisse impeccabilem docet D. Thomas variis in locis, præsertim 3. p. quæst. 27. art. 3. & in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 2. Ergo potest etiam voluntati viatoris infundere habitum, qui ex simili participatione immobiliter illam in bono, ac proinde cui debita sunt auxilia efficacia ad nunquam peccandum. Secundò probant, quia potest Deus infundere intellectui viatoris habitum, ipsum immobilitantem in vero practico, quo infallibiliter dirigatur erga omnia agibilia; qualis fuit de facto scientia infusa animæ Christi, quia eminenter erat practica & speculativa, & independens à phantasmatibus (ex quorum defatigatione provenit quod non semper sumus in actuali veri consideratione) semper, rat in actu respectu omnium agibilium; quod etiam de scientia infusa B. Virgini tradunt Albertus magnus, D. Antoninus, Canisius, & alii: Ergo pariter potest infundere voluntati viatoris habitum, illam immobilitantem in bono, cui proinde debita sunt auxilia efficacia ad nunquam peccandum.

385 Respondeo datà Majori (cuius veritatem examinare præsentis instituti non est) negando primò: nam licet habitus infusus homini in statu innocentia, illum integrum in utroque ordine naturæ & gratiæ constituerint, non tamen participabant perfectionem aliquam gratiæ consummata comprehendit, quâ inclinabiliter voluntatem in bono firmarent; alias homo in statu innocentia non potuisset peccare; licet Apostolus per donum confirmationis in gratia, ipsis post adventum Spiritus sancti concessum, impeccabiles constituti sunt: habitus autem ille quem possibilem admittimus, perfectionem gratiæ consummata participaret, quâ voluntatem ad bonum quoad specificationem determinaret; sicut de facto id præstat donum confirmationis in gratia, quod tollit, vel saltem ligat potentiam peccandi, & facit quod illa non prorumpat in actum & homo non peccet de facto usque in finem vitæ, & infallibiliter moriatur in gratia.

Alia difficultas resolvitur, & in quo formaliter consistat perseverantia donum, breviter explicatur.

Dico quartò, donum perseverantia finalis consistere formaliter in conjunctione gratiæ cum morte, ex efficaci glorificationis intentione imperata.

Probatur primò ex Augustino Lib. de bono persever. cap. 1. ubi sic ait: Hanc certè, de qua nunc agimus perseverantiam, quâ in Christo perseveratur usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem. Et cap. 6. De illa (inquit) perseverantia loquimur, quâ perseveratur usque in finem, quâsi data est, perseveratum est usque in finem; si autem non est perseveratum usque in finem, non est data. Quibus verbis minuat, de ratione perseverantia esse ut gratiam cum morte coniungat.

Probatur secundò ratione: In eo formaliter situm est donum perseverantia, quo perseverantes à non perseverantibus distinguuntur: Ac qui non distinguuntur in alio, antecedenter ad assecutionem gloriæ, quam in eo quod talis est divina providentia dispositio circa ipsos, ut debeant mori in gratia; cum alii interdum plus habeant gratiæ & donorum Dei in hac vita: Ergo donum perseverantia finalis consistit formaliter in speciali Dei dispositione, quâ gratia cum morte coniungitur. Ex quo

Inferes primò, perseverantiam pro formali esse ejusdem rationis in omnibus, cum in omnibus formaliter importet conjunctionem gratiæ cum morte, ex efficaci glorificationis intentione imperata; pro materiali, verò diversa in diversis importare: nam in iis qui sine usu rationis decedunt, importat solam Dei providentiam, ratione cuius ita omnia disponuntur, ut mors accidat antequam gratia possit amitti; in aliis verò importat collationem variorum auxiliorum, vel ad respiciendum peccato, vel ad vitanda peccata, & superandas tentationes, & longo tempore in bono persistendum, aut etiam ad existendum in gratia in illo instanti, in quo ex speciali Dei dispositione mors accidere debet.

Auxilia verò quæ in diuina perseverantia in bono reperiuntur, eleganter describit Augustinus homil. 23. inter quinquaginta, his verbis: Adulter non fuit in illa vita tua præterita, plenâ ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumque discernens, nondum credens in illum qui te nescientem regebat. Hoc tibi dixit Deus tuus: regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres, suavor defuit: ut suavor deesset, ego feci. Locus & tempus defuit: ut hac deesset, ego feci. Affuit suavor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non consentiret, ego feci. Agnosce ergo gratiam ejus cui debes & quod non admisti. Mihi debet iste quod factum & dimissum vidisti: mihi debes & tu quod non admisti. Nullum est enim peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector à quo factus est homo. Ubi in prioribus verbis auxilium externæ protectionis declarat, quo Deus remover occasiones peccandi; in posterioribus autem, auxilium internæ inspirationis & motionis, quo facit ut homo recte operetur, & longo tempore in bono perseveret.

Interree

Interessecundo, donum perseverantiae finalis esse distinctum ab eo quod requiritur ad diu permanendum in bono: nam multis datur donum perseverantiae finalis, quibus auxilium ad diu permanendum in bono non conceditur, ut patet in his qui statim post acceptam baptismi gratiam, antequam ad adultam aetatem perveniant, rapiuntur, ne malitia muret in intellectu eorum: contra vero multi sunt quibus datur auxilium perseverandi in bono per multum tempus, & tamen donum perseverantiae finalis ipsis non tribuitur, ut patet in Juda, & Alis Christi Discipulis, qui eo relicto abierunt retro, de quibus ait Joannes: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.

Narrat etiam D. Augustinus in libris contra Julianum, sub finem, fuisse aliquem virum sanctum, qui usque ad sexagesimum annum continenter vixit, & postea hoc eodem anno uxorem duxit, qua tamen per viginti quinque annos abstinuit, cum ea tanquam cum sorore vivens, anno autem octogesimo quinto, cum spectaculis inestitisset, in quibus histrionisam saltantem & cantantem, nomine Lythiam, videbat & audierat, cum ea turpiter reliquum vitae suae tempus absolvit.

Confirmatur: Donum perseverantiae finalis esse effectus proprius praedestinationis, & solis praedestinatis conceditur: auxilium vero perseverandi per multum tempus, non est effectus praedestinationis, sed providentiae generalis ordinis supernaturalis, & datur etiam reprobis: Ergo distincta sunt auxilia, illudque est specialius isto. Unde ea videntur distinguenda Concilio Arausicano can. 10. cum dicitur sanctis implorandum esse auxilium Dei, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.

Interes tertio, donum perseverantiae finalis differre a dono confirmationis in gratia: illud enim est commune omnibus praedestinatis: istud specialissimum, quod Deus non nisi B. Virgini, Apostolis, & alijs paucissimis concessit: illud non tollit, nec ligat potentiam peccandi, sed solum facit quod homo non peccet mortaliter usque ad finem vitae, & infallibiliter moriatur in gratia, quamvis absolute peccare possit; istud vero dat non posse peccare mortaliter aut venialiter, juxta modum quo datur: quidam enim ita confirmantur in gratia, ut nec mortaliter nec venialiter peccare possint, sicut B. Virgo: alij vero, licet possint peccare venialiter, non tamen mortaliter, ut Apostoli.

Interes quarto, omnes qui sunt in gratia, nisi per eos steterit habere quidem quiddam necessarium est, ut possint, si velint, usque ad mortem perseverare, ut definit Tridentinum sess. 6. can. 22. (habent enim auxilia quibus possunt legem implere, vitare peccata, & superare tentationes ad longum tempus non habere tamen omnes auxilium quo actu & infallibiliter perseverent usque ad mortem: quia deest multis specialis illa providentia, qua omnia ita disponuntur, ut gratia cum morte infallibiliter conjungatur. Cujus nullam aliam possumus assignare rationem, quam voluntatem Dei, & inscrutabilia judicia ejus, ut expresse docet Augustinus lib. de bono persever. cap. 9. his verbis: Ex duobus parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur, & ex duobus etiam jam gran-

atibus impis, cur iste a vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem pueris, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex praedestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, aut unus praedestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, mansissent utique nobiscum. Quid est quod non erant ex nobis? Nonne utrique a Deo creati, utrique ex Adam nati, utrique de terra facti erant, & ab eo qui dixit, omnem statum ego feci, unus ejusdemque naturae animas acceperant? Nomen postremo utrique vocatus fuerant, & vocantem secuti, utrique ex impijs justificati, & per lavacrum regenerationis utrique renovati: Sed si haec audiret ille, qui sciebat procul dubio quod dicebat, respondere posset, & dicere: vera sunt haec, secundum haec omnia ex nobis erant, verum tamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Quenam est tandem ista discretio? Patent libri Dei, non avertamus aspectum: clamat Scriptura divina, adhibeamus aurium. Non erant ex nobis, quia non erant secundum propositum vocati; non erant in Christo electi ante constitutionem mundi; non erant in eo sortem consecuti praedestinati secundum propositum eius qui universa operatur: nam si donassent ex illis, essent, & cum illis sine dubitatione mansissent.

Ex hoc intelliges, id quo differt perseverantia finalis a perseverantia non durante usque in finem, in libera hominis potestate non esse: nam perseverantia finalis a non finali differt per hoc, quod finis vitae conjungatur cum gratia, ex efficacia gloriae intentione: At neutrum in libera hominis potestate constitutum est, cum nec nostra potestati efficax electio ad gloriam subdatur, nec mortis eventus: Ergo id quo perseverantia finalis a non finali differt, in libera hominis potestate non est. Unde in Tractatu de justificatione, & merito dicemus, donum perseverantiae finalis a nobis non posse promereri.

Si autem queras, an Deus sit paratus omnibus tale donum conferre? Respondetur quod sicut Deus voluntate antecedenti & inefficaci vult omnes homines salvos fieri, quamvis voluntate consequenti & efficaci praedestinos duntaxat velit salvare; ita & omnibus voluntate antecedenti media ad salutem necessaria, subindeque donum ipsum perseverantiae vult conferre: licet voluntate consequenti & efficaci solis praedestinati illud velit tribuere, ut ex verbis Augustini jam relatis manifestum est. Sicut ergo voluntas illa antecedens, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, sufficit ut dicatur paratus omnibus conferre donum finalis perseverantiae, satis est quod eadem voluntate antecedenti illud omnibus dare velit. Unde in oratione Dominica jubemur tale donum a Deo petere, cum dicimus: Adveniat regnum tuum, ut supra ex D. Thoma annotavimus. Et Tridentinum sess. 6. cap. 13. de illo sic ait: De perseverantia munitur, de qua scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: nemo sibi certi aliquid absolute certitudine pollicetur: tamen in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent; Deus enim nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Est ergo fidelis usque ad mortem, & Deus dabit tibi coronam vitae. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Ne respicias retro, sicut iuxor

80th, quæ (ut bellè ait Augustinus) conversa est in statum salis, ut fateor suo condiret exemplo, Denique huic prudenti D. Bernardi consilio morem gere: Tene quod tenes, hostiæque eandem iunge capiti, & tunicam de gratiâ iam polimitam, cura facere & valere, quoniam cepisse nihil proderit, si quod abest, perseverare non contigerit. Sola enim perseverantia (ut supra ex Augustino vidimus) informat meritum, remunerat currentem, coronat pugnantem, & ad portum ducit navigantem. Sola (addit Bernardus) æternitatis quandam speciem præ se fert: sola est cui æternitas redditur, & quæ æternitati hominem reddit.

DISPUTATIO II.

De essentia gratiæ.

Ad questionem 100. D. Thomæ.

Non agendum hic de essentia gratiæ actualis, quia ejus consideratio pertinet ad Tractatum de auxilijs, sed solum de essentia gratiæ habitualis, quæ est nobilissima species gratiæ, & gratiarum omnium fulgentissimum jubar, parensque omnium virtutum; cujus radijs cætera fulgent carismata, quæ fides nitet, spes erigitur scientia, prophetia, & alia gratia gratis data splendent, ipsaque charitas ignescit ac fervet. Illa est, cujus lumine illustramur, cuius mundicie à peccatorum fecibus purgamur, cujus candore dealbamur, cujus pigmentis venustamur, cujus sanctitate sacerdotes Dei consecramur, cujus majestatem Reges æquamur, cujus semine Dei filij generamur, cujus denique virtute prorsus divina deificamur.

Porro quia accidens potissime cognoscitur ex genere & differentia quibus constat, & ex subiecto in quo residet; ex quo etiam quandoque ejus differentia sumitur, ideo D. Thomas quatuor articulis hanc questionem absolvit. In primo genus remotissimum gratiæ investigat; in secundo agit de genere proximo; in tertio differentialem ejus conceptum inquirat; & in quarto de ejus subiecto differat. Cui ordini inhærentes, & hujus S. Doctoris vestigia temper sectantes, totidem in hac disputatione de gratia sanctificante dubia resolvemus.

ARTICULUS I.

Utrum gratia sit aliquid intrinsecum in anima?

Partem negativam tenent hæretici hujus temporis existimantes gratiam non esse aliquid nobis infusum, sive in nobis existens, sed solum intrinsecum favorem & benevolentiam Dei, per quam anima est ipsi grata, & ab eo dilecta. Ita Lutherus, Calvinus, Kemnitius, & alij, quos referunt Bellarminus lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 3. Decanus Lovanienſis art. 8. contra Lutherum, & Canſius lib. 5. de B. Virgine cap. 5. Adeundem errorem accessit Pighius, vir alioquin Catholicus: nam lib. 5. de gratia & libero arbitrio, sic ait: Imaginantur

A gratiam Dei, qualitatem aliquam creatam anima nostræ à Deo, vel eandem cum charitatis habitu, vel distinctam ab eodem: quæ commentitia univèrsa existimo. Ut hic error proscribatur, & veritas catholica stabilietur & explicetur.

Dico: gratia gratum faciens est donum aliquod homini intrinsecum, seu in nobis existens, non verò solum extrinsecum Dei favor, vel amor.

Probatur primò ex Scriptura: Dicitur enim 2. ad Corinth. 1. Signavit nos, & dedit nobis pignus spiritus in cordibus nostris. 1. Joan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet. Joan. 4. Qui bibent ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Sed pignus committum, sigillum impressum, semen insitum, aqua fons & corde scaturiens, quid reale & intrinsecè inhærens apertè sonant: Ergo Scriptura his figuris, seu metaphoris manifestè declarat, gratiam gratum facientem esse donum aliquod homini intrinsecum, eique inhærens. Item D. Joannes in 1. Epistola cap. 2. intimam & realem gratiæ justificantis in cordibus nostris præsentiam, sub unctionis metaphora significat, dicens: Vndio quam accepistis maneat in vobis; oleum enim secretiores corporum quibus infunditur partes attingit, penetrat, & pervadit, ac in eorum intima dilabitur & descendit. Denique Apostolus ad Romanos 5. dicit charitatem (quæ individua gratiæ comes est) diffundi in cordibus nostris per Spiritum Sanctum: At quod effunditur in cordibus, illis infunditur, illis inhæret: Ergo & gratia. Unde Augustinus lib. 1. de peccat. meritis & remiss. ait: Deus dat sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis. Ubi certè de gratia habituali loquitur, cum ad parvulos minimè spectet actualis.

Probatur secundò conclusio ex Tridentino sess. 6. can. 11. ubi sic habetur: Si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, ATQUE ILLIS INHÆREAT; aut etiam gratiam quâ justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit. Quæ verba exponens Catechismus Romanus jussu Pij V. editus, tractatu de sacram. Baptismi, sic ait: Est autem gratia (quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum sub pena anathematis decrevit) divina qualitas, in anima inhærens, ac veluti splendor quidam & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores & splendidiore reddat.

E Probatur tertio ratione D. Thomæ hic art. 1. quæ sic potest proponi. Hominem esse in gratia Dei, est illud esse à Deo dilectum, ut farentur hæretici: Sed hominem esse à Deo dilectum, importat aliquid ipsi intrinsecum: Ergo & esse ipsi gratum, seu gratiâ habituali prædictum. Minor probatur: cum amor sit affectio, quâ quis tendit in aliquod objectum propter ejus bonitatem, in hoc conveniunt amor divinus & humanus, quod aliquam bonitatem respiciant; differunt verò in eo quod amor humanus, cum sit sterilis & infirmus, nec sit effectivus, sed tantum affectivus, supponit in objecto bonitatem à qua afficitur